

reprobatorum inferiorum ministrorum mechanicorum, qui fidem ab eorum dominis habitam fraudent.



De Sacra Congregatione Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticae.

S V M M A R I V M.

- 1 DE huius Congregationis erectione.
- 2 Qui nam in ea interueniant.
- 3 Prælati sunt relatores causarum, & processuum.
- 4 Quare habeatur in ista Congregatione usus processuum, & de immunitate locali.
- 5 De immunitate personali, & de alia immunitate reali.
- 6 Mechanicum est videre processum.
- 7 Quando teneatur, & de quibus negotijs tractet.
- 8 An fuerit expediens eam erigere.
- 9 Quod stylus huius S. Congregationis sit potius contra delinquentes, qui ad immunitatem recurrunt.
- 10 Unde proueniat quandoque rigor.
- 11 De remissione confugientium sub lege ut non condemnentur ad pœnam ordinariam.
- 12 De stylo dandi omnes expeditiones gratis.
- 13 Et de alio stylo procedendi in forma extraiudiciali.
- 14 Cognoscit priuatim de causis immunitatis, & Metropolitanus se non ingerit.
- 15 In quo propriè consistat munus huius Congregationis, & quales causas remittat iudicibus competentibus.
- 16 De alijs ad materiam remissis.

DISC. XVII.

1 **D**igniora est ista Congregatio, utpote erecta circa initia Pontificatus Urbani VIII.; Incertum tamen est; An viue vocis oraculo; Vel per literas in forma Breuis; Aut per decretum consistoriale; Siue etiam per Apostolicam Constitutionem, quæ in Bullario non sit impressa; Ideoque super eius facultatibus, ac restrictionibus respectiue, discursi non potest, eo modo, quo de facultatibus aliarum Congregationum, super quibus Constitutiones in Bullario habemus, fieri potest.

Habet ista Congregatio, cum competente numero Cardinalium, mixturam aliquorum Prælatorum pro Papæ arbitrio, ex quibus quatuor videntur fixi; Vnus nempe, qui Secretarij munus gerat; Vnus ex Rotæ Auditoribus; Vnus ex Clericis Cameræ, & Aduocatus fiscalis; Alij verò sūt in maiori, vel in minori numero, ut Papæ videatur etiam ex dictis Rotæ, & Cameræ Tribunalibus assumi soliti.

Isti verò Prælati, ut plurimum, sunt relatores causarum (qui in Curia Ponentes dicuntur); Potissimè quia huius Congregationis negotia frequenter secum ferunt processus voluminosos, qui per Ordinarios locorū, vel per alios iudices, & magistratus de partibus transmittuntur; Potissimè in causis concernentibus, ecclesiasticam immunitatem localem, ad effectum inspiciendi qualitatem, ac probationem criminis, pro casibus exceptiuitatis per Constitutionem Gregorij XIV.;

4 Siue qualitatem loci capturæ, super quo sit controuersia, an sit immunis nec nē; Aut super eiusdem capturæ modo, qui immunitatē excludat; Puta (ex.gr.) quod captus in loco non immuni, violenter in eo actu, secum trahat capientem, qui eū detineat, adeo ut ad proximum locum immunem accedat, cum tunc non suffragari Immunitatem S. Congregationis respondere consueuerit, cum similibus. A

Prout etiam, processus, & acta de partibus, transmitti solent, in causis aliarum

spe-

A. de istis causis immunitatis localis lib. 14. in Miscellan. Ecclesiast. disc. 9. & seqq.

5 specierum immunitatis, personalis scilicet, & realis, quando ad ipsam Sacram Congregationem recursus habeatur per eos, qui prætantur immunitatis vel iurisdictionis violatores, & tanquam tales ab Ordinarijs, censuris innodati sint, siue illæ comminentur, cum similibus, quoniam, cum Cardinales in tot Congregationibus, ac etiam in Cōsistorijs, & Cappellis Pontificijs, alijsque grauibus negotijs, præsertim cum Principum Oratoribus occupati, vacare non possint lecturæ processuum, qui quandoque voluminosi esse solent; Ac etiam, quia indecens videtur Cardinalium maiestati, cum id sapere videatur quid mechanicum, ut agendo de Aduocatis seu Procuratoribus inferius in eorum Rubrica aduertitur B; Ideo Prælati iniungitur, qui compendiosè referant ea, quæ in processibus, & in actis contineantur ut seruat quoque Congregatio Consultæ de qua infra. C

Teneri ea solet in Palatio Apostolico in die martis, bis in mense, nisi negotiorum contingencia aliter suadeat; Eaque solum agit de negotijs concernentibus materiā iurisdictionis ecclesiasticæ, & ne illius exercitium; Magistratibus secularibus permittatur, ac etiam de materia dictæ triplicis immunitatis, localis, personalis, & realis, & de quibus speciebus, ac successiue de negocijs, in dicta Congregatione pertractari solitis, in ecclesiastica Miscellaneo cōpendiosè agitur, Ideoque ibi videri potest, ne eadem absque necessitate repetantur. D

De his autem, insensibiliter, seu minus clamorosè, cognoscere solebat altera Cōgregatio Episcoporum, de qua discursu proximo præcedenti agitur; Eaque cum regulis prudentialibus, quas præ cæteris 8 (commendabiliter quidem) adhibere solet, forsitan (ut aliqui opinantur) melius eadem negotia dirigebat, vnde propterea

B. infra in disc. in quo agitur de Aduocatis & procuratoribus.

C. de his controuersijs super immunitate reali dicto Miscellan. Ecclesiast. lib. 14. disc. 2. & seqq. & tit. de Regal. à disc. 50. ad 62; Et de immunitate personali tit. de iurisd. à disc. 58. ad 68. & 92. & 94. & in alijs & supra de iudic. disc. 3.

D. locis supra citat.

adhuc sub iudice, etiam apud bonos, ac zelantes ecclesiasticos, remanet quæstio, quæ verè problematica est, habens hinc inde probabilia argumenta, an huius Congregationis erectio, ecclesiasticæ immunitati, ac iurisdictioni, proficua, vel præiudicialis fuerit E; Potissimè quia, bonus quidem, sed fortè indiscretus, vel asper zelus aliquorum, qui circa initia, cam regebant, aliqua produxit inconuenientia præiudicialia, atque asperitatis vel nimium exactæ & exorbitantis defensionis, opinionem, impressit apud seculares (quæ pro hodierna praxi verè erronea est) quoniam ut pro meâ diuturnæ forensis vitæ praxi, ingenuè testari possum, utpote utrumque antiquū, seu primæuum, & hodiernum stylum expertus, quod rectissima est intentio, ad restrictionem potius immunitatis præsertim localis propensa; Eatenus verò illum stylum 10 adhibere oportet, qui rigorosus, vel asper reputatur à secularibus, quatenus ipsi ad id cogant, vel prouocent, quia nempe, se iudices tacere velint huius materiæ, cuius, iuxta regulas catholicæ Fidei sunt incompetentes; Ideoque, ut pluries in Ecclesiastico Miscellaneo, occasione agendi de dicta triplici immunitate, ac etiam in materia iurisdictionali aduertitur F; Prout etiam in illa feudorum, G & in altera regalium H, & alibi, vitium est in utroque extremo, superiorum officialium, & magistratum vtriusque fori, adeo ut inconuenientia potius resulent ex modo, quam ex substantia.

Potissimè verò, inter alia multa, hodierna Congregatio non laudat antiquū sensum circa immunitatem localem, in illis casibus, in quibus agatur de criminibus, quæ sub casibus exceptiuitatis, de stricto iure non cadant, sed scandalosa sint, publicæque quieti præiudicialia, vnde propterea, non possint confugientes liberè tradi Curie seculari, minusque de-

p. 2. Relat. M 2 beant
E. insinuatur etiam dicto disc. 2. Miscellan. ecclesiast.

F. locis supra cit.

G. tit. de feud. disc. 60.

H. locis supra citatis.

beant relinqui in libertate, sed potius ad extraordinariam poenam triremium tanquam per speciem detentionis, & custodiae, pro publica quiete condemnari; Quoniam non est condemnatio, quae fiat per iudicem ecclesiasticum auctoritate sua de laico delinquente, cum quo nullam habeat competentiam, circa criminis punitionem, vel cognitionem, sed solum circa punctum immunitatis, an competat nec ne; Sed est prudens & commendabile temperamentum, per quamdam speciem concordiae cum Magistratibus saecularibus, ut ita media viam eligendo, concorditer ipsi abstineant a poena ordinaria huiusmodi delinquentium, qui eis tradantur; Atque non violetur immunitas, publicae autem quieti consulatur. L; Verum condonatio fiat per ipsos Magistratus saeculares competentes, tanquam per speciem (ut praemissum est) prudentis, & commendabilis concordiae; Verum Episcopi, alijque ecclesiastici superiores ad eam devenire non possunt, inconsulta ista Congregatione quae ad id devenire non solet, nisi facto verbo cum Papa a quo oraculum accipit, dum nostrae aetatis praxis docuit, quod Ordinatio delinquentes laicos transmittente ad Principes saecularis triemes; Magistratus saecularis eos ita in loco non immuni repositos carceravit, atque ad poenam ordinariam ultimi supplicij condanavit, sequuto effectu.

In reliquis autem, huius Congregationis stylus est uniformis, ac aliarum; Tam circa omnimodam alienationem a foribus, atque ab emolumentorum aliqua solutione, pro expeditionibus, aliisque actis, quae gratis omnino conceduntur, ac fiunt; Quam etiam, circa modum procedendi in forma extraiudiciali, ut de alijs Congregationibus Concilij, & Episcoporum supra dictum est, scribendo scilicet per epistolas familiares Ordinarijs locorum, vel Nuntijs Apostolicis, aliisque ecclesiasticis Praelatis, ad quos pertineat, tam circa informationes super recursibus, quam circa executionem suorum decretorum, ac resolutionum. Priuatam cognitionem huiusmodi

controuersiarum habet, ad quoscumque alios competentes Iudices, appellationum, vel recursuum; Ideoque per eius decreta, Pontificio oraculo comprobata, inhibita sunt Metropolitanis, ac Nuntijs, aliisque Iudicibus appellationis, vel recursuum ab Ordinarijs locorum, ne inhibitiones concedant, vel impedimenta praestent; Talisque videtur praxis inconcussa in specie immunitatis localis. M

Secus autem in alijs duabus speciebus immunitatis personalis vel realis, quoniam munus Congregationis, proprie, ac principaliter versatur, in protectione, ac defensione ecclesiasticae iurisdictionis, & immunitatis, & ne de facto illa usurpetur, vel respectiue violetur a Magistratibus, vel Communitatibus saecularibus, aut a gabellarum, aliorumque laicalium onerum Appaltatoribus, & exactoribus, ita assistentiam, ac auctoritatem praestando Ordinarijs locorum, qui praesertim pro Italiae moribus, in exiguis, ac pauperibus Ecclesijs, potentiali oppressioni saecularium de facili subiacent; Secus autem ubi cessante hac oppressione de facto, praetendatur per trames iuris, quod illa causa, vel persona respectiue sit saecularis, non autem ecclesiastica, ideoque ad forum saeculare pertineat, iuxta eorundem sacrorum canonum dispositionem; Siue quod illa immunitas realis de iure competere non debeat; Vel quatenus in substantia competat, ista non controuertatur, sed sola quaestio sit super modo, vel super quantitate, aliisque accidentibus, quoniam ista cognitio non prohibetur, immo fieri debet coram Ordinarijs Iudicibus competentibus cum immunitatis ecclesiasticae substantiam, vel genus non percutiat; Ideoque debent eis huiusmodi causae remitti, ut in forma iudiciali, per trames iuris decidantur, eo modo quo aliae causae priuatae contentiosae peraguntur; Potissime vero quando oporteat facere probationes per testes, qui seruatis seruandis examinandi sint, stante insinuato stylo, tam istius, quam aliarum Congregationum, gerendi potius partes Principis, vel

L. agitur de hoc stylo dicto Miscellan. Ecclesiast.

M. insinuatur etiam dicto disc. 2. Miscellan. Ecclesiast. & titul. de iudic. disc. 3. & alibi.

supremi magistratus, in forma extraiudiciali, quam illas iudicis, in forma contentiosa. N

Et de alijs ad istam Congregationem pertinentibus videri poterit in enunciatione 16 10 Ecclesiastic. Miscellan., ac etiam in materia iurisdictionali, et in illa regali, occasione agendi de gabellis, & vectigalibus, praesertim pro immunitate reali &c. O

N. de his causis remissis ad suos iudices tit. de regal. disc. 50. cum plur. seqq. & agitur etiam in dicto Miscellan. Ecclesiast. disc. 2. & seqq.

O. in locis supra relatis.



De Sacra Congregatione Rituum.

S V M M A R I V M

- 1 DE istius Congregationis erectione, eiusque duplici specie.
- 2 De personis ex quibus ea constituitur.
- 3 Quae negotia in ea peragantur distinguuntur inter contentiosa & non contentiosa.
- 4 Quae nam sint non contentiosa.
- 5 De receptione alicuius sancti in Protectorum.
- 6 De quaestionibus contentiosis quae super ista protectione cadere solent.
- 7 De quaestionibus contentiosis praeminentiarum inter Ecclesiasticos.
- 8 De alijs quaestionibus similibus cum saecularibus.
- 9 De stylo procedendi in forma extraiudiciali, omniaque faciendi gratis.

- 10 Quod quandoque formatur processus, & adhibet quandam formam iudicalem.
- 11 In his materijs praeminentiarum deferatur consuetudini, & quando.
- 12 An cerimoniale impediatur consuetudinem.
- 13 Quod soleant etiam istae causae committi in Rota, vel de eius voto.
- 14 De alia specie Congregationis super Canonizatione Sanctorum, & qui nam interueniant.
- 15 Adhibentur etiam medici, & alij professores, & quare.
- 16 De congregationibus quae habentur coram Papa, ac etiam de Consistorijs, in hac materia.
- 17 De alijs quae hanc materiam concernant remissum & quare non omnes Aduocati hac negotia pertractent.
- 18 De stylo propinarum, aliorumque emolumentorum in hac materia.
- 19 De praecedentia inter Sanctos.

DISC. XXVIII.



Vplex videtur ista Congregatio, a Sixto V., cum alijs pluribus per eandem Constitutionem quod erecta A; Vna scilicet ordinaria, pro Ritibus ecclesiasticis, aut pro decidendis controuersijs praecedentiarum, aliarumque praeminentiarum; Et altera extraordinaria, super canonizatione Sanctorum, seu beatificatione, & cultu aliquorum seruorum Dei, dum diuersus est personarum interuentus, seu participatio, in vna, quam in altera, in ordine ad Praelatos, aliasque personas, extra illas Cardinalium, qui pariformiter in vtraque interueniunt eo ipso, quod ex oraculo Papae, huic Congregationi Rituum in genere adscribuntur; Quare de eis distincte, ut decet, agendo.

Quatenus pertinet ad primam speciem Congregationis ordinariae; Ea ex solis Cardinalibus constituta non est, quoniam, ultra ipsorum competentem numerum, qui (prout in omnibus alijs Congregationibus) non est determinatus, sed maior vel minor, pro Papae libito, interueniunt plures Praelati, quorum vnus est secretarius,